Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 429
Quelle:
Copyright:

Omiſi leviora. Id addo: Exempli noſtri Partes cum Scriptoris, tum Compactoris vitio trajectas eſſe, et ultima quaedam folia deperiiſſe.

CCLIV.

R. 1993 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 214. 4. maj. per duas columnas nitide exaratus, minio diſtinctus, et olim *Domus Porte beate Marie virginis In axpach ordinis Cartuſienſium prope Danubium*, in infer. *Auſtria* ſequentia complectitur: I. *Biblia beate Marie Virginis.* Initium: *In principio creauit deus celum et terram. Gen. 1. Celum ſ. empyreum per quod intelligitur domina mundi uirgo maria. Eſt enim ſimilis celo multis de cauſis. quarum una ponitur in hyſtoria. Empyreum enim quoniam cito factum eſt. ſtatim diſpoſitum et ornatum eſt. quod non alij celi. ſic et ipſa in gratia et ſanctificatione.* &c. Ita excepto Esdra, Pſalterio, Machabaeis, Actis et Epiſtolis Apoſtolicis enotatur e ſacris Literis, quidquid adcommodari Deiparae poteſt. Concluſio vero eſt ejusmodi: *Hunc libellum ad honorem tuum qualitercunque compilatum benigne ſuſcipias. et omnia peccata mea diluas. Gratiam gratum facientem finaliter tribuas. et ad gloriam ſempiternam me famulum tuum Martinum perducas. Amen. Tu quoque o lector quidquid in eo emendandum eſt caritate fraterna ſtudeas emendare.* Emendemus ergo mox in hoc Epiphonemate τὸ *diluere* et *tribuere*, utpote quod ſoli Deo competit. Quis porro *Martinus* is, *Bibliothecae Marianae Marraccii* addendus, fuerit, cum ignaris ignoro. Τὸ *Gratia gratum faciens* Scholaſticorum Seculum reſpicit.

II. *fol.* 38. p. 2. ſequitur prolixa et gravis Oratio ad Deum, quae incipit: *Omnipotens et miſericors Deus qui eſſentialiter es bonus, cuius gratia preuentus homo ſua peccata conſiderat plangit et deſerit* &c. et finit: *de te uiuentes et te benedicentes teque in perpetuum collaudantes Qui in trinitate perfecta uiuis et regnas Deus.* Ad *Soliloquia* et *Meditationes* olim *Auguſtino* adſcriptas, et ad *Orationes Anſelmianas* accedit.

III. *fol.* 42. *Incipitur ſalutatio beate Marie virginis a fratre Chunrado compilata.* Initium eſt: *Quoniam ut ait Jeronimus nulli dubium eſt* &c. Ad calcem vero Clauſula miniata habet: *Explicit ſpeculum beate virginis.* Quid jam ſtatuemus? Extat ſub hoc Titulo inter Opera *Bonaventurae* edit. *Lugd.* T. VI. p. 429. totum hoc Opuſculum priorem Salutationis angelicae Partem explicans; at nos a *Fratre Chunrado* didicimus *compilatum.* Et adſtipulatur *Trithemius* in *Catal. illuſtr. Viror. Germ. f.* 26. *Conradum de Saxonia* O. M. inter alia *L. unum de Salutatione Angelica* ſcripſiſſe teſtatus, id, quod et ipſe *Waddingus* in *Biblioth.* Ordinis non abnuit. Nunquid convaleſcit ab eo p. 75. relata *Julii Nigronii* ſuſpicio: Omnia Opuſcula ſpiritualia, quae ſine authore circumfereban-